

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput IX.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

tarum tenet montem Garizin, altera montem Hebal, Levitæ propter officii dignitatem stant cum arcæ in medio. *Alter ordo observetur in ceremoniis & actibus* nam alia aliis temporibus conveniunt: sicut hîc prius benedictio fit solennis: postea instituitur recitatio verborum legis. Sic in nostris Ecclesiis aut cœtibus annitendum est, *ut omnia fiant ἐν ἑκαστῶν καὶ κτλ. & ξiv. 1.* Cor. XIV, 40.

CAPUT IX.

Ἐποχὴ.

In hoc capite continetur *astutum & fraudulentum facinus Gibeonitarum*, qui cum ex felicissimis Israëlitarum victoriis in meticulosam illam opinionem conjecti essent, fore, ut & ipsi more Hierichunticorum & Hainensium extremo exitio & interitu mactentur: astutum hoc consilium iniverunt, ut per legatos prætextum ex remotissimis locis adventantium eminentos ab Israëlitis fœderis societatem peterent, quæ impetrata omniq; fraude detectâ, Josuæ religio fuit datam fidem frangere. Verùm ut fallaciæ suæ supplicium omnibus seculis sustinerent, destitavit & addixit eos perpetuæ servituti.

Partes capitis sunt duæ. I. Continet consilium Gibeonitarum fraudulentum ejusque cum *Ἐποχῆν*, tum *πρῶτον* à v. 1. usq; ad 14.

II. Habet *consilii & instituti eventum*, qui est partim optatus, partim molestus. Nam recipiuntur quidem Gi-



Gibeonitæ in fœderis communionem, verùm dolo detecto, perpetuū servitiū maledictio impostoribus imponitur.

Analysis Logica & Rhetorica

Primæ partis.

Fraudulentum consilium Gibeonitarum 1. illustratur συγχέεισθαι vel potius ἀνυθέεισθαι consilii, quo cæteri illi ster-ræ incolæ usi sunt ad propulsandos Israëlitarum impetus & defendendam patriam, quippe putârunt conjunctis animis & viribus Josuæ resistendum esse. Sed se ipsos miserè deceperunt, quid enim hoc aliud erat, quàm ipsi DEO resistere?

Secundò *illustratur αἰτιολογία impulsivæ*: Nam fama de everfione Hierichuntica & Haina disseminatâ in tantum metum Gibeonitas conjecit, ut de omnibus armis ac propriis viribus confidentiam abjicerent.

v. 3.

Tertiò additur *αἰτιολογία τῆς ὑπηγετικῆς* i. e. *causæ ministerialis seu adjutantis*, quid adhibuerint ad faciendum dolum; nempe saccos veteres, utres vini scissos: calceamenta detrita & confuta: panes siccos & situ deformes: vestimenta lacera. v. 4. & 5.

Quartò additur *αἰτιολογία formæ*. *Forma consilii* consistit in ipsa fœderis petitione, quàm Gibeonitæ non nudam, sed vestitam quasi & fucatam *προσέλαβεν* seu *ἀνυποφορῶν* proponunt, occurrentes tacitæ objectioni. Nam ne quis facillè quærat: An sint ex vicinia terræ everfioni destinatae, ipsi prætendūt: *De terra longinqua venimus* v. 6. Incidit autem hîc quæstio *διαιολογηθῆναι* seu

T t

Ju-



Juredicialis: An liceat fœdus cum Gibeonitis pacisci. Israëlitæ negant, fumentes probationem ab adjuncto patriæ vel loci: *Vis argumenti* est hæc:

Non licet Israëlitis fœdus inire cum incolis terræ hujus, quam DEUS possidendam daturus erat ipsis.

At vos procul dubio estis incolæ hujus terræ. v. 7.

Ergò Israëlitis non licet vobiscum fœdus inire.

Gibeonitæ contrà tuentur *sententiam affirmativam*, quod liceat. Argumentum petitur ab æquo & potest ita informari.

Servis est parcendum, inprimis qui se sponte potestati alicui submitunt:

At nos sumus vestri servi v. 8.

E. nobis est parcendum, & per Consequens, tutum est vobis sub juramenti religione nobis incolumitatem & salutem polliceri.

Secunda Objectio Israëlitarum:

Cum ignotis non licet fœdus inire (Hoc enim videtur esse temeritatis)

Sed vos estis nobis ignoti, & quoad personas, & quoad conditionem vitæ ac patriæ: Verba textus: *Quinam estis, aut unde venistis?* v. 8.

E. vobiscum non licet fœdus inire.

Resp. Gibeonitæ i. *ἡ συγγένειν* i. e. per concessionem MINORIS.

Esto, de terra longinqua valdè venerunt servi tui v. 9. Deinde *καὶ ἀνίστασθαι* mediis potioris à causa finali.

Qui divinorum miraculorum illustri fama illecti ex remotissimis locis ad nomen Domini advenerunt, iis non est denegandum fœdus. Nam hoc pacto magis

gis

gis magisq; inclarescit gloria DEI. At nos divinatorum miraculorum illustri famâ illecti, venimus. Ergo nobis fœdus non est denegandum.

MINOR amplificatur μερισμῶ seu *distributione à locis & personis sumta v. 10. 3.* Respondent κτ̄ βεβαίωσιν *signo probabili.* mendacium de longissimâ peregrinatione ita palliantes:

Quibus in via calidijpanes induruerunt, utres vîni rupti, vestes & calceamenta absumta sunt, eos necesse est longas vias confecisse,

At nos &c.

E, longissimas vias confecimus.

Analysis Grammatica.

v. 1. Qui versabantur in montanis)

distribuitur terra Cananæorum i. *in genere ab adjunctis locorum,* quorum alia dicuntur ορεινά i. e. *montosa,* quæ 3. reges à meridie inhabitabant, Ethæus, Jebusæus, Amorrhæus, Num. XIII, 30. Alia *versus occidentem* dicuntur πεδινά i. e. *planicie & vallibus amœna;* Alia appellari possunt ἀγχύαλα seu παράλα i. e. *mari finitima.* Conspiciebantur enim in illa terra mare mortuum, mare Sodomorum, ubi erat terminus Cananææ & Idumææ, mare Tyberiadis.

Deinde *in specie* fit mentio maris magni & Libani, de quibus supra audivimus c. 1. *Mare magnum* est mediterraneum ab occidente limitans terram Israëlitis promissam Deut. XI, 24. Aliàs dicitur mare Palæstinarum Exod. XXXIII, 31. *magnum* vocatur respectu maris mortui & Genesareth, quæ saltem lacus erant magnæ, non scaturientes ex Oceano. *Libanus* est ter-

Tt 2

mi-



minus illius terræ septentrionalis apud Sidonem & Tyrum, Palæstinam à reliquia Syra dirimens. Hæc distributio locorum facit ad exaggerationem hostilium conatum, quibus se gentes Israëlitis opposuerunt. *Presidia* ipsis duo præstò fuerunt: 1. multitudo hominum congregatorum ab uno regionis termino ad alium: 2. fuit unanimis intentio, siquidem eorum animi ad Israëlitarum interitum inclinabant. Atque hæc duo licet aliàs multum momenti soleant habere ad victoriam; tamen hîc DEO obstante, nihil proficiunt.

v. 3. *At hi qui habitabant in Gabaon*) est ἀπόδοσις ἐπινοήσασιν τῆς ἀντιθέσεως. Removet enim Gibeonitas ab iis, qui convenerant Josuam bellis & armis infestatum. Habet autem nomen *Gabaon* seu *Gibeon* ab altitudine præeminente. Nam גִּבְעֹן significat collem & גִּבְעֹן significat *excelluit*. Fuit ampla urbs & vicinarum metropolis, sita ad montem Siloh, 1. milliare ab Hierosolyma versus occasum: à Galgalis circiter 3. aut 4. milliaria. Mansit etiam ibi altare æneum & tabernaculum fœderis multos annos usq; ad ætatem Salomonis 2. Par. I, 3. & 5. Item 3. Reg. III, 4. ubi alludendo ad appellationem nominis dicitur excelsum maximum.

Callidè cogitantes) Hebræus: egerunt בְּעֵרְמָרָב ab עָרַב, significatur *talis* πωσγύλα, quæ ex multis dolis & mendaciis aptata & concinnè composita est, quasi in harmoniam. Nam qui astutè & inge-

ge-

geniosè decipere volunt, ii solent ex multis mendaci-
is fallaciam necere.

v. 5. *Calceamenta pittaceis consu-
ta*) i. e. frustis corii variis restaurata. Ubi frustula
corii dicuntur κατὰ χερσιν ὡς pittacea, seu, ut alii legunt,
pittacia. Nam pittacium propriè significat frustu-
lum panni medicinæ faciendæ, dolenti capiti vel præ-
cordiis applicatum. Hebræa lingua vocata ea calcea-
menta maculosa, ut Pagninus. Nam quæ ex variis fru-
stis consuuntur, discolors maculas sortiuntur. Septu-
aginta vertunt κῶλα i. e. cava. Unde apparet, Græcos
exposuisse maculas illas de calceorum foraminibus &
scissibus. Lutherus vertit, Alte gestickte Schue. Nihil
refert, seu calceamenta perforata fuerint, seu laci-
niis consuata.

v. 6. *Dixerunt ei*) Quæ lingua Gabeoni-
tæ in hac legatione usi sint Hebræa ne an Cananæa,
incertum est, quia Cananæa parum distabat ab Ægy-
pto, ubi lingua Hebræa quam pluribus erat cognita,
fieri potuit, ut & nonnulli Cananæi eam addiscerent,
Tamen verisimilius est, eos vernaculam usurpasse,
quæ res in Josua suspicionem auxit, ut vereretur ad-
modum, ne essent ex terra Canaan. Quod autem Ju-
dæi linguam Cananæam tenuerint, inde constat, quod
Legati Rahabæ Jerichunt loquuntur.

De terra longinqua valdè)
Indirectè respondent, loquentes de alio, interrogati
de cepis, quia metuebant, ne si unum locum nomi-
nassent, dolus confestim animadverteretur. Interim

Tt 3

ex



ex seq. v. 17. apparet, 4. civitates nominibus expref-
 fas fuiffe, *Gabaan: Japhira: Beroth, & Cariath Gaa-*
rim, quas propter datum juramentum non percuffe-
 runt Ifraëlitæ gladio: at fi eas legati ab initio non no-
 minaffent fingulas, haud fuiffet Jofue obligatus, ut
 illis parceret.

v. 9. *In nomine Domini*) Hebr. יהוה
i. e. ad nomen Jehovæ DEI tui. Hæc bifariam expo-
 ni poffunt: i. fi nomen accipitur de fama gloriofa,
 quam DEus per miracula fua longè latèq; in univer-
 fum mundum effudit, innuitur caufa impulſiva, quâ
 ex longinquis terris illecti & pertracti fuerunt ad pe-
 tendum à Jofua tædus, quemadmodum in initio capi-
 tis reges auditu rerum novarum provocati dicuntur,
 id ipſum quoq; ſequentia verba teſtantur. Verba tex-
 tus: *Audi vimus enim famam ejus.* Nomen igitur DEI
 eſt omne, quod ab ipſo præter naturæ curſum factum
 audiverant. Deinde fi nomen DEI accipitur pro ejus
 cultu, indicatur *cauſa ſtialis*: Gabaonitas veniſſe ad
 nomen Domini celebrandum & invocandum. Quod
 autem verum DEum cum Judæis agnoverint, licet
 aliquantò confuſius & obſcurius, ſicut Rahab, inde
 patet, quod DEum verum ſuo nomine proprio ſalu-
 tant Jehovam. Quæ ratio perſvaſit in primis Jofuæ,
 ut petentibus locum daret, vitamq; promitteret. Ne-
 que enim fas videbatur, delere eos, qui ejusdem nu-
 minis, ejusdemque fidei confeſſionem cum Eccleſiâ
 Ifraëliticâ præ ſe ferrent. Verùm hæc omnia procul
 dubio, ut cætera, ex doſoſo animo profecta fuerunt.
 Nam Gabaonitæ præcipuè in eo laborabant, ut vitam
 tuerentur, non ut DEum colerent.

v. 9.



v. 9. *Quæ fecit in Ægypto*)

De sicco transitu Jordanis, de deletione Jericho & Hai ne ⁷⁹⁰ quidem, idque propterea, ne seiplos ceu so-
 rex proderent. Quia enim fugebant, se ex valdè remo-
 ta terra advenisse, convenienter dissimulant ea om-
 nia, quæ non ita pridem evenerant. Interim admo-
 dum incautè mentionem faciunt regum interfecto-
 rum Sehon & Og. Nam hi deleti sunt circiter men-
 sem septimum vel octavum anni 40. ab exitu Ægypti-
 co: quod inde manifestum est: Aaron mortuus est
 mense quinto ejus anni in monte Hor Num. XXXIII,
 37. quo Israëlita prius venerunt, quàm ad Hesbon vel
 Astaroth. A fine anni 40. intra mensis unius & di-
 midii fermè spacium cœtera peracta sunt in Jordane,
 Jericho & Hai. Quare à tempore deletionis regum
 duorum Amorrhæorum ad Gabaonitarum legatio-
 nem vix numerabis sex, vel, ut in concedendo sim li-
 beralior, 7. menses: His deme dimidium tempus,
 quod dilapsum fuit, antequam fama ad ipsos pervola-
 vit. Restant igitur 3. menses cum dimidio. Hæc est
 illa vetustas, quæ Gabaonita utres vini, vestesq; in in-
 gressu viæ novas ruperunt, attriverunt, ac penè con-
 sumserunt: In einem viertel Jahr haben sie spannene Klei-
 der in Fleck-Stücklein zerrissen: *Mendacem oportet esse
 memorem.*

v. 10. *Regi Hesebon*) Hesebon fuit no-
 men civitatis Num. XXI, 25. Basan est regio Gigan-
 tum Deut. III, 3. & Reg. IV, 13. Astaroth est nomen ci-
 vitatis in regione Galaath & Gen. XIV, 5. appellatur
 Astaroth Carnaim,

QVÆ.



QVÆSITO:

An Gabaonitæ rectè fecerint, quod per fraudem & versutiam in Judæorum confœderationem se insinuarint?

Affirmatur.

I. Ratio: Quod fit in nullius detrimentum, sed potius multorum hominum salutem, id rectè fieri nemo negat:

Sed hæc Gabaonitarum confœderatio fit in nullius detrimentum, sed potius in multorum salutem, E. rectè. &c.

MAJOR est manifesta, quia prudentia, quæ rerum gerendarum regula & moderatrix est, in eo differt à dolo; quòd hic in privatam, illa verò in cõmunem salutem est intenta, cum ut præcaveat ingruentia mala, tum ut illata corrigat & moderatè ferat.

MINOR probatur: Quia per hanc confœderationem inquilini 4. urbium non tantum à morte corporali liberantur, sed etiam ad veri DEI agnitionem & cultum convertuntur. Quod sanè lucrum ex ipforum vitâ perceptum tanti precii est, ut ex eorundem morte, nec majus nec par expectari potuerit.

II. Quod naturali appetitui consentaneum est, id rectè fit.

Sed hæc confœderatio consentanea est naturali appetitui, qui est conservatio sui ipsius, & violentæ mortis declinatio.

E. rectè.

MA-



MAJOR *prob.* quia natura habet suos appetitus ex ordinatione DEI, in quem nulla culpa cadit.

Negatur.

I. Quod cum candore pugnat, malè fit, pugnat enim cum honestate ipsa.

Sed confœderatio Gabaonitarum pugnat cum candore.

E. malè fit.

MINOR *prob.* qui aliud loquuntur, aliud sentiunt, & quod ratione aperta non confidunt se adepturos, id dolo & fraude captant & arreptitant.

II. Quem DEus non inultum finit, is malè fecit.

At Gibeonitas non inultos finit DEus ob dolosam fœderis prensationem.

E. malè fecerunt.

MINOR *prob.* Nam licet occisi non fuerint: tamen perpetuæ servitutis laboribus destinantur.

SOLUTIO.

Hujus quæstionis explicationi inservit maximè *distinctio mediorum & finis*, cujus consequendi causa illa ordinantur. *Finis* confœderationis est conservatio vitæ & ab interitu vindicatio. Gibeonitæ dum hanc appetunt & ardenti desiderio venantur, nequaquam peccant. At quod dolosa media fucatosq; dolos adhibeant, quibus incautos Israëlitas in nassam pellicunt, in eo non levem reprehensionem incurrunt.

Vv

LO.



LOCI THEOLOGICI.

I.

*De diversis & contrariis effectibus divi-
norum operum.*

Quæ DEUS hæcenus in terra Palæstina miracula e-
didit, ea dissimiles jam sortiuntur effectus in Cana-
næis: Alios ad arma sumenda compellunt; alios ad
petendam pacem invitant: Horum animos faciunt
mollescere, illorum corda indurant. Ut enim *apes*
ex dulcissimis flosculis roseum mel, *aranea* verò ve-
nenum fugunt: Ita *opera DEI* nonnullis sunt saluti,
nonnullis exitio & damno, idq; sine ulla ipsius culpa,
quemadmodum Evangelii doctrina aliis est odor vitæ
ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. 2. Cor. II.
v. 17.

II.

De hostibus vera Ecclesia

EXV. 2.

Cananæi, qui se Josuæ turmatim opponunt, præ se
ferunt mores & ingenia hostium sanctæ Ecclesiæ. I.
enim ex omnibus locis montanis, campestribus &
maritimis confluunt reges, ut fortissimos exer-
citus cogant contra Josuam, felicissimam Imperato-
rem divinitus constitutum pugnaturi. Deinde o-
mnium animi in hoc negotio consentiunt & conspi-
rant, qui procul dubio alioqui à mutuis consensibus
fuerunt alienissimi. Sic quovis seculo compertum
est,



est, Ecclesiam Christi plures habere oppugnatores, quàm propugnatores, plures qui eam conantur demoliri, quàm ruentem fulcire. Unde Psal. XXIV, 14. David inquit: *Respice, Domine, inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, it. Ps. III, 1. it. Psal. LXVIII, 5. multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Dan. III, 37. *Domine, imminuti sumus plus quàm omnes gentes.* Unde & Christus cœtum suum appellat pusillum gregem Luc XII, 32. Deinde quot quantique sunt, conferunt universas vires & cogitationes unanimi consensu ad fidelium interitum, Sicuti David dicit Ps. II, 2. *Astiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum adversus Dominum & Christum ejus.*

III.

De consiliis hostium.

Cananæi reges consiliis suis magna potentia & audaciâ roboratis nihil proficiunt, partim quia gloriæ ac voluntati divinæ adversantur, partim quod non capiuntur ad emendationem vitæ, nec suscipiuntur, cum divinæ benedictionis petitione & voto. Ergo frustra deliberant. *Gott wirfft ihnen etne böse Reih in Weg.* Hoc est, quod Esaias hosticis comitiis illudens ait cap. VIII, 10: *Inite consilium & dissipabitur: Loquimini verbum & non fiet, quia nobiscum Emmanuel.* Quare Sirach nos admonet cap. XVII, 19. *In omnibus deprecare altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Ideoque non est metuenda nobis hostium multitudo, non potentia, non astutia. Nam ad solius DEI nutum necesse est, hæc omnia pessundari. Præterea nos quo-

VV 2

que



que in deliberationibus spectemus DEI gloriam & Ecclesiæ salutem, nec intermittamus unquam pia vota pro secundis successibus.

IV.

*De ἀποστασία & secessione à falsa Ecclesia
facienda.*

Ut Gabaonitæ in regum Cananæorum consilia non consentiunt, sed ab illis secessionem faciunt præferentes rectam rationem perverso multorum iudicio: Sic nulli parti accedendum est, ideò quia plures sunt, qui unanimiter in hoc vel illo consentiunt, sed quod iustum ac salutare, id spectandum & amplectendum est. Nec moveat quæmpiam, quod nomine schismatis vel hæreseos vel seditionis hinc calumniosè traducitur, quemadmodum Pontificii omnes pro hæreticis habent, qui à Romano Leone deficientes cum verè Prophetica & Apostolica Ecclesia per huius fidei confessionem sanctum fœdus paciscuntur. His respondendum est: *multiplicitudo errantium non parit errori patrocinium.* Chrysippus cuidam reprehendenti, quod non apud Aristonem cum pluribus daret operam Philosophiæ: *Nunquam, inquit, philosopharer, si cum pluribus auscultarem;* Lepidè alludens ad Græcam vocem πολὺ, quæ interdum significat multos, interdum vulgus, ut significaret, non statim esse optima quæ, compluribus arrident. Laërtius l. 7. c. 2. hoc nos multò magis respondemus Pontificiis: Nos malle cum paucis veritatem sectari, quam cum multis damnandis erroribus implicari. Quin potius audiamus Christum, qui

qui, ut multitudinem nobis suspectam redderet, *viam & portam perditionis* definivit *latam & spaciosam*. Matth. VII, 13. Unde apparet, secessionem à populo si aliqua communitate non esse malam, si justis de causis fiat. Nam peccantes cum multis pœnas cum multis quoque luere cogentur. Sicuti istis Gabaonitis cum cæteris Cananæis certò pereundum fuisset, nisi ipsi ex eorum comitiis se subduxissent. *Exempla* si quæris, intuerè *Christum*, cui nihil commercii fuit cum secta Phariseorum. *Micheas & Elias* recesserunt ab Ecclesia Baalitica, *Arbanasius* ab Arriana, minime offensi multitudine aliter sentientium.

V.

De exemplo singularis prudentiæ in spiritualibus imitando.

Factum Gabaonitarum istud astutum cum illius villici versutia admodum convenit, de quo & similibus Christus dicit Luc. XVI, 8. *Filii seculi hujus sunt prudentiores filiis lucis in generatione sua.* Hos in spiritualibus nobis imitandos proponamus. Gabaonitæ postquam omni spe vitam terramque suam adversus Israëlitarum impetus defendendi excidissent, missis armis dolosam & fraudulentam viam ingrediuntur, tantummodo ut in his terris paulò diutius vivant. Nos quantò majorem jam decet adhibere prudentiam & industriam, ut post terrenæ hujus vitæ delectationem animæ nostræ ibi æternæ securitatis privilegio gaudere possint. Verùm securi homines pleraque rursus sursum vertunt, de tuenda & provehenda

Vv 3

tem.



temporali vita impensè sunt solliciti. At in effunden-
da æterna animæ salute maximè sunt prodigi.

LOCI POLITICI.

I.

De prudentia politica.

Exemplum prudentiæ politicae proponitur nobis in his regibus Cananæis, qui, ubi de victoriarum Israëlitarum primitiis & aliis divinis miraculis ad ipsorum aures fama dimanasset, minimè se socordiæ dederunt in utramq; aurem svaviter dormientes; Sed de mediis commodis quibus hostium incurfionibus feliciter resisti posset, sobriè & vigilanter deliberarunt. Nec enim tam stupidi & barbari fuerunt ingenii, ut non intelligerent illud *Pœtae*:

Principiis obsta, sero medicina paratur.

Quare, quoad possunt, omnem movent lapidem, ut initia & fomenta impendentium malorum amoliantur & extinguant, collatis in unum viribus & consiliis. id quod per se (si ab impietate gentili cogitationes abduxeris) non tantum omni caret reprehensione, sed etiam plurimum momenti habet ad constituendam & conservandam reipub. tranquillitatem. Atque utinam illis nostra tempestate in hoc officii genere Magistratus essent similimi, qui in tanto armorum strepitu, à Jesuitis seditionum tubis ac facibus excitato, partim nihil agunt, partim aliena tractant. Hoc qui faciunt, longissimè absunt ab architecti illius prudentia, qui cum sit *edificaturus turrin prius sedens*

com-

computat, *suntus an suppetant ad perficiendum* Luc. 14, 28. Ita communi salutem tam in repub. politica quam Ecclesiastica ab initio consulendum est, nec contemnenda fama, de inimicorum conatibus sparfa.

II.

De Comitibus.

Docent nos Cananæi suis conventibus, magnum & inenarrabilem esse usum comitorum ad rectè administranda imperia. Ibi enim de rebus omnibus, de tuendis finibus patriæ, & hostibus propulsandis: de amoliendis subditorum gravaminibus, de jubendis legibus, de tributis imperandis & cogendis, de religione & fide &c. optima consilia capi solent, quæ ob communium statuum suffragia & unanimem approbationem non sunt irrita. Nam clarissima & maximè ponderosa est multarum regionum & civitatum vox publica, quæ ne Monarcha quidem ipse, si maxime velit, repudiare potest. Hinc est, quod cum iis civitatibus optimè agitur, quibus comitia usitata sunt: secus verò cum iis, quæ illis distituuntur. Intelligentes id probè *Romani* interdixerunt barbaris, potestatem ipsorum fugientibus, communes conventus, sicuti autore *Livio* l. 35. *Mummius* Cos. fecisse legitur. At ubi eorundem imperio acquievissent, antiqua cuique genti restituta esse concilia scribit *Strabo*. In eo vero longissimè recedendum est à Cananæis regibus, quod in conventibus suis contra voluntatem & Ecclesiam DEI consilia ineunt. *Nam in comitiis legitimis nihil, nisi quod ad illustrandam & amplificandam DEI gloriam & ad promovendam ac stabiliendam reip. pacem ac securitatem*

tem



rem tractari debet. His ita expositis vel lippus videre potest, quoloco *Pontificiorum consilia* habenda sint, utpote in quibus sub pacis & concordiae figmento hæc imprimis agitantur consilia, quomodo ferro & igne dissipatis Lutheranorum cœtibus Romanæ Ecclesiæ pristina autoritas & antiquus ille nitor restituatur. Quare ut consilia legitima verè sunt pacis & concordiae officinæ: ita Pontific. conciliabula verè sunt conventicula latronum & carnificum. David vocat *tumultum leonum* Pf. XXXIV, 17. It. *conventum malignantium* Pf. III. Quin imò *cathedram pestilentiae* Pf. I, 1. Contra tales tamq; pestiferos conventus jubet nos David orare Pf. LIV, 10. *Præcipita vel absorbe, Domine.*

III.

De Concordia.

Cananæi reges confugiunt in comitiis suis ad concordiam tanquam ad S. anchoram. In eo enim consentiunt omnes, quod adversus Josuam pugnaturi sint (ut Hebræus textus habet) *uno ore* i. e. unanimi sententia, cui nullius os velit contradicere. Ubi agnoscimus *Metonym. signi vel effectus*. Quippe non copula vestes, non securicla aut subscus tam arctè & tenaciter ligna vincit, quam concordia partes imperij. Hæc omnibus armis fortior est, & omnibus præfidiis validior ad profligandos hostes à terminis patriæ. Hæc rebus publ. fortunæ ac roboris augmenta addit incredibilia. Qua de causa *Plutarchus de reip. ger. præceptis concordiae studium* vocat ἡς πολιτικῆς ἀσπαστικῆς μέγιστον καὶ κάλλιστον i. e. *politice artis maximum & pul.*

puerimum opus. Et de garrulitate, sicut & in *Apo-
phteg.* commendat propterea tanquam singularem,
concordiæ magistratum *Scilurum* Scytharum regem,
qvi jam naturæ satisfactorius 80. suos filios fasciculam
hastilium afferre iussit, eumque singulis confringen-
dum exhibuit. Cum autem nullus id pro se præsta-
re posset, ipse uno pro altero extracto omnia sine ne-
gocio fregit, ostendens ἴην συμφωνίαν αὐτῶν καὶ ἴην ὁμό-
νοιαν ἰσχυρῶν καὶ δυσκαθαίρετον ἀχρεῖος ἴην ἀλύσιον καὶ ἄ-
νιμον. i. e. consensum & concordiam illorum esse rem firmam
& insuperabilem: dissidium verò rem imbecilem & mi-
nimè stabilem. Seu ut cum *Homero* loquar ex *Iliad.* 13.
Συμφεσὴν δ' ἀρεσὴν πέλει ἀνδρῶν καὶ μαλαλυγρῶν. *Collata vi-
res virorum etiam valde timidorum profunt.*

Qvare qvi Remp. suam sartam testamq; volunt,
nulla id re facilius consequentur, quàm animorum &
virium conjunctione, cujus fundamentum esse timor
Domini, seu unitas Spiritus, ut *stemus unanimes in uno
Spiritu* Phil. I. eandem habentes charitatem Phil. II, 2.
Ab hoc fundamento dum procul abest Cananitarum,
concordia ultrò solvitur, nec tueri potest conspiran-
tes reges adversus Josuam,

IV.

De fugiendo dolo in contractibus.

Non rectè faciunt Gibeonitæ, quod dolo & fraude,
Israëlitis juramentum & foedus suffurantur; rectius
consulissent rebus suis si causam suam rectò & inge-
nuè proposuissent: ita procul dubio tanquam qvi ul-
trò sese imperio Judæorum submitterent, libentius

recepti fuissent: neq; enim legimus, populum DEi unquam sævitiam exercuisse in eos, qui ipsis ferociter non restiterunt. Ac propterea *juramentum Josue* non est verè ἐκείνου, sed ex parte saltem & ex hypothesi, quæ videlicet probabilius rationibus deceptus Gibeonitas putabat non esse de populis terræ promissæ. Quod ubi rescivit, pœnitet eum datæ fidei, & incipit ipse dolore de sua incogitantia & ἐυπιστία vel temeraria credulitate.

Licet autem ista mendacia emolumento fuerunt, Gibeonitis & ex eorum sententia successerint: tamen nemo petat inde exemplum fallendi aut mentiendi, cui cum viris bonis & honestis est negocium. *Pugnat enim hoc cum lege nature*, quandoquidem nemo forsitan patienter feret, ubi se ab altero dolo circumventum intellexerit. Adde quod DEus ipse à contrahentibus fraudem abesse severè præcipit. 1. Thes. IV, 6. ἵνα μὴ τις πωρεσθῆναι καὶ πλεονεξῆν ἐν τῷ πρῶτῳ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ i. e. *ne quis transcendat (limitem æquitatis) nec circumveniat in negotio fratrem suum.* Additur ratio gravissima à DEi ultione: Quoniam Dominus est ἐκδικῶν i. e. *vindex de his omnibus.* Sic Lev. XIX, 11. Scriptum est: *Non mentiemini: nec decipiet unusquisq; proximum suum.* Et Ps. XXXIII. *Prohibe linguam tuam à malo & labia tua ne loquantur dolum.* Notandum tamen, quod dolus, qui in alterius perniciem vergit, majorisq; pœnam mereatur, quàm si sine ejusdem dispendio tantummodo fraudis autori nocet. Levius igitur peccant Gabaonitæ, quàm Achan: Illorum enim dolus sibi prodest, ne affert calamitatem Josuæ. Acha-

Achanis verò dolus, quem ipse sibi fore utilem sperabat, universo populo erat damno.

V.

De ἀπιστία & δυσπιστία.

Magistratum decet non facillè aures & fidem dare præsertim peregrinis & ignotis. Nam homo est *εὐσεγὸς καὶ ἄστυ* i. e. *valdè versatile animal*, ut Platonem dixisse *Plutarchus* refert de Reipublicæ gerendæ præceptis. Quid Josuam hîc decipit aliud, quam credulitas nimia & incogitantia. Sanè non debuisset argumentis tam levibus & ne vix quidem probabilibus assentiri, sed deliberandi & diligentius inquirendi spacium potius sumere. Potuisset enim omnem rem ex Rahabe ejusq; agnatis cognoscere, quibus urbes illæ vicinæ 4. haud potuerunt esse ignotæ. Docet igitur nos Josue cautius mercari, & revocat nobis in memoriam tritum Prov. *μὲμνησο ἀπιστεῖν*: *Nam qui facillè credit, facillè decipitur.* Adde quæ DEUS ipse in credendo nos jubet esse cautos Jer. XII, 6. *Ne credas eis, cum locuti sunt tibi bona.* Mich. VII, 5. *Nolite credere amico.* Et Ecclesiastici XIII, 14. *Ne credas & c.* It. c. XIX, 4. *Qui credit citò levis corde est, & minorabitur.*

Contra I. c. 37. dicit idem Ecclesiasticus: *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ.* 2. *Charitatis est omnia credere* I. Cor. XIII, 7. Ergo Josue est potius imitandus in *εὐπιστία*.

Resp. ad I. Ecclesiasticus loquitur non de fide inter nos, sed de fide erga DEUM. Addit enim: *Est enim conservatio mandatorum, qui credit DEO, attendit mandatis.*

Xx 2

Resp.



Resp. II. *Paulus* agit non destuta & inconsiderata charitate, quæ cæco impetu sine iudicio in quodlibet fertur: sed de cauta & provida charitate, quæ rationem habens officii sapienter iudicat & attendit, ne temerè diligendo faciat aliquid contra honestatem & officium.

VI.

De prætextu vera religionis.

Quàm facilè pii religionis prætextu decipi possint, testatur *Josue*, qui inter alia hoc in primis argumento ad habendam fidem movetur, quod *Gabaonitæ* prætendunt, se famâ *DEI* convulsos venire ad ejus nomen colendum v. 9. Hoc procul dubio animum *Josue* longè magis flexit, quàm quæ de duris panibus, utribusque vinariis scissis, calceis & vestibibus tritis commentum fuerant: tantam vim habet ad persuadendum etiam in rebus religio, præsertim apud eos, qui sunt simplicis fidei & probitatis. Hoc pacto olim *Romani Pontifices* cum suis monachis plebeculæ credulæ singularis sanctitatis & angelicæ devotionis tegumento imposuerunt, eaque ad nûtum alium sibi obsequentem fecerunt, ut quælibet cultuum & errorum monstra pro veræ pietatis exercitiis obviis ulnis exciperet & deoscularetur. Talibus stratagematis *Pseudodoctores* uti solitos testatur *Paulus Rom.* XVI. 18. *per dulces sermones & assentationes seducunt corda innocentium. Atque hoc est os in cælum ponere & linguam in terra transire* Ps. LXXII, 9.

Non



Non igitur unicuique religionis & fidei consensum, jactanti credamus facile, nec cui amicitiae fores aperiamus, dignum mox reputemus: quandoquidem univ-
ersus mundus ex dolo & fallaciis compositus est & consutus.

VII.

De seniorum versutia.

Communi consensu notum est *seniorum judicia & mandata* ob multarum rerum usum *maxime esse facienda*. Considerantes id Gabaonitae praetendunt v. 11. se a senioribus ablegatos & talibus persuadendi argumentis instructos esse: nec dubium est id ita evenisse: Unde apparet, quemadmodum nonnulli senes propter prudentiam & maturum judicium venerandi & imitandi sunt: ita nonnullos ob versutiam & vulpinam charitatem junioribus esse deteriores & eò magis ipsis fugiendos esse. De his notetur *Menandri Jambicus*:

πόλια χρόνος μήνους, & Φρονήσεως. i. e.

Canities est temporis judicium, non prudentiae.

DE II. PARTE CAPITIS

IX.

Susceperunt igitur de cibariis)

Hæc est altera pars capituli, continens narrationem, quid Gibeonitae suis precibus impetrarunt. Recipiuntur quidem a Josua in foederis pacifici percussione, sed ubi post triduum palam fit, quod sint de gente Can-

Xx 3

na-



nanæa, acerrima oritur contentio inter populum Isra-
el, & ipsos duces, *an juramentum Gabaonitis datum sit
servandum nec ne?*

Josue ex utraq; parte litem ita componit, ut ex pro-
missio pacto Gibeonitis quidem vivere permittatur,
interim tamen iisdem pro dolo redimendo perpetuæ
servitutis jugum imponatur. Sunt autem *effectus pe-
titionis* à Gabaonitis propositæ tres. 1. *est, in Josua &
principibus ipsa percussio fœderis v. 14. Amplifi-
catur.*

1. *ab occasione* seu signo potius benevolentia. Nam
dum Israëlita cibaria sumunt de advenis; ma-
gnam assensionis argumentum præ se ferunt.
 2. *à causa efficiente* *scilicet*, quod os vel divinum o-
raculum non consuluerunt.
 3. *à causa formali*, quæ consistit in juramento, quo
pactum fuit sancitum.
 4. *à fine*, qui est ab occasione immunitas. Verba
textus: *Ut non occiderentur.*
 5. *Distributione personarum* jurantium ex parte
Israëlitarum, hæ sunt Josua & principes.
 6. *Antithesi consequentia*. Nam post dies tres do-
lus detegitur, Israëlitis ad novorum confœdera-
torum urbes castra moventibus v. 16.
- Secundus effectus in populo* est murmuratio contra
principes Israël v. 18. Sed compescit plebem Josue
prudenti & nervosâ oratione in qua
1. *affirmat*, Gabaonitis esse fidem servandam. Af-
fert rationem duplicem.
 1. *à forma* juramenti, quia juravit in nomine Do-
mini v. 19.

2. *ab*

2. *ab effectu*, ne ira Domini in perjuros excitetur

v. 20.

2. *Affertionem restringit* cum conditione servitutis hujus, ut ligna cedant & aquas comportent. Hâc moderatione & perjurium devitat; & indignantis populi æmulationi commodam medicinam facit.

Atq; hic est tertius effectus in Gabaonitis, nempe servitus; hanc significat populo, cum acerba doli exprobratione v. 22.

Gabaonitarum autem responsio partim est ἀπολογικὴ καὶ, partim συγχωρητικὴ. Nam excusant dolum purgatione seu ἀλύσιδος & translatione seu μεταστάσις utentes: Non fecimus animo lædendi, sed terrore ac metu vestræ potentiae & vitæ nostræ tuendæ studio, v. 24. Deinde utroque pede eunt in sententiam Israëlîs impositum servitutis jugum non inviti suscipientes, v. 25.

Concluditur tandem hoc totum caput ἡλικείσθαι, quod Josue. i. Gabaonitas à morteliberat.

2. eosdem in servitute sustinenda confirmat.

v. 14. *Susceperunt de cibariis*

Usitatum erat olim, ut in confœderationibus & pactis instituerentur convivia, quæmadmodum legimus de Jacobo & Labane, Gen. XXXI, 54. Et apud *Salustium*, *Curtium*, alios historiæ profanæ Scriptores exempla exstant fœderum, in quibus fanciendis populares de eodem vel cibo vel potu gustare solebant. Ejusmodi Convivia volebant esse intimæ affectionis testimonia externa. Nam ut *Plutarchus* scribit lib. 7. πρὸς συμποσιακῶν: κοινωνία δὲ καὶ σπαρδῆς, καὶ παιδιᾶς, καὶ λόγον ἢ πρᾶ-



πρόθεον τὸ συμπόσιον *i. e.* convivium est communicatio
 sermō & joci, sermonum & actionū. At amicitiae ergo con-
 ciliandae ceremoniam & foederis sancienti, pertinebat
 vel h. l. quod Israëlitae (*viri ii*, dubio procul quae mox
principes cœtus vocabuntur, primates sc. populi,) pa-
 nem à peregrinis hominibus sumserunt, atq; ut est
 credibile, de prægustato paululum degustarunt. Sed
 rident *aliqui* hanc sententiam ut insulsam atq; ine-
 ptam: ipsi interim censent, ita enectos fuisse inediã
 Israëlitas, ut ne tantisper quidem sustinere se potue-
 rint, dum Deum consulerent, quin aridum illum &
 exsuccum mucidumq; panem acceptum vorarent.
 At sunt ineptiora hæc, quàm ut refelli merean-
 tur.

v. 14. *Et os Domini non interrogâ-
 runt.*) Manibus & oculis suis fidebant, Jehovaham
 negligentes; nec per Sacerdotem indutum amiculo
 sacro, quod nominatur *Ephod*, consulentes, præcipi-
 tanter agebant. Putat quidem *D. Ambrosius* lib. 3. de
 offic. integritatem Israëlitarum, relationi Gabaonita-
 rum credentium, non inquirendo, quænam illorum
 gens esset & ubi sita, in laude ponendam: Verùm, et si
 probabile, ne Deum ipsum quidem, si consultus esset,
 responsurum fuisse, Gabaonitas, cum pacem pete-
 rent, non esse recipiendos, nihilominus tamen existi-
 mo, illis verbis, neque os Domini interrogarunt,
 Principes neglecti officii non leviter esse insimula-
 tos.

v. 15.



v. 15. *Fecitq; Josue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, ut non occiderentur:*) *Pacem facere* ad hostilem voluntatem atq; offensionem deponendam pertinet; *fœdus verò percutere*, ipsa pacis pacta atq; leges & conditiones intuetur, ut est à *Nehmanno* scriptum. Conditiones autem quibus cum exteris civitatibus, è quarum numero se Gabaonitæ simulant esse, depaciscendum erat, perscriptæ sunt Deut. XX, 10. Quod additur, *ut non occiderentur*, Hebraicè est *וַיַּחַי*, *ad vivificandum eos*, h. e. ad servandum eos in vitâ, ad concedendum, ut amplius viverent, cum aliâs morti & internecioni ex mandato DEI fuissent tradendi, V. *Ariam*. in *Bibl. Par.* 2. p. 9. *Glass.* Phil. S. l. 3. tr. 3. can. 28. p. 322. Quamvis haud prætereandum, *vivere hoc*, posse significare, non tantum, vitam conservare; sed *synecdochicè*, vivere suis moribus salvâ Republ. suâ & religione; Servitute fortè sola sive tributi pensione excepta. Credebantur enim esse, populi extra fines Cananæos commorantes, ac proinde excidio simili non obnoxii cum Cananæis aliisque, contra quos expeditio armorum jam facta esset; utpote dedititii, atq; planè alterius generis & conditionis, quam de quibus Lex loquitur.

Quod juramento promiserunt eis principes cœtûs) Certum est, Hebræorum, fœdera eo ritu fieri solere quem Abrahamo olim Deus

Yy

mon.



monstrarat, cum ipse inter partes sectorum per medium animalium transivisset, eaque ceremoniam promissa sua, quae paulo ante illi vigili, tum vero rursus secundum quietem promittebat, confirmasset, Gen. XV. Conf. R. Salomo, D. Kimchi, Sanctius, Gerhard. & alii ad h. l. Nisi quod Abraham quinque animalium genera capere iussus est, nimirum quae sola olim ad sacrificia forent utilia; caetera autem foedera uno animali secto rite fiebant. Atque haec est causa, cur Hebraei foedus facere dicant בְּרִית בָּרִיר, h. e. scindere, dividere aut dissecare foedus: (Jungat. Buxt. Lex. p. 377. Coccej. Lev. col. 395.) sicut Latini suum representantes ritum, dicunt, icere, ferire, seu percutere foedus; de quo ritu vide Livium decad. 1. l. 1. coll. Servio. Sed praeter eum ritum, non dubium, quin solennes etiam preces adhiberi consueverint, in quibus iusjurandum quoque continetur; sicut in sponsionibus dari sponsores, aut etiam obsides. Jurarunt autem hic non solus Imperator, verum etiam Senatus populi.

v. 16. *Post dies autem tres initi foederis audierunt, quod in vicino & c.)*

Quo nuncio fraus sit patefacta scire nihil refert. Est tamen credibile, Israëlitas apud Galgala in stativis castris minime otium trivisse post everfas duas Urbes Jerichuntem & Hai, sed assiduis excursionibus loca late vicina explorasse, cum frumentandi, aliasque res ad victum necessarias quaerendi, tum regionis cognoscendae causa.

v. 17.



v. 17. *Venerunt ad civitates eorum die tertio, erant autem civitates eorum Gibbon & Cephira, & Beriroth & Kiriath-Jebarim.*) Pervenerunt ergo illuc die tertio, ex quo rescitum fuerant illos esse indigenas Chananæos. Urbes illæ inter se vicinæ erant unde & simul recensentur tres illæ, *Cephira, Beeroth & Kiriath-Jaarim* apud *Ezdræ*, l. 1. c. 2. & l. 2. c. 7. De כפירה *Cephira* non multa est alibi mentio, *Beeroth* בארוח *Remmonem* Patrem *Rechab* dedit, ut proditum est, 2. Sam. IV, 2. Habet hæc nomen à puteis, sicut alia quædam ei cognominis, Deut. X, 6. At *Kiriath Jaarim* קיריאת יערים multis est historiis celebris. Nomen ipsum significat *urbem, sylvarum*; quod ei datum est à vicino atque adeo adjacenti monte, qui יערים *Jaarim* vocatur, utpote sylvosus & multa materie obsitus, opinor. In eo monte exstabat illa, quam modo dicebamus, *Cephira*. *Kiriath-Jaarim* vocata est etiam קיריאת בער *Bariath-baal*, & nonnunquam בעלר *Baala*. *Jeremias* vatem *Uriam* in eâ natum fuisse prodidit, c. XXVI, 20. Tres autem priores harum civitatum dein tribui *Benjamin*, ultima *Judæ* cessit.

v. 18. *Et non percusserunt eos, eò quod jurassent eis Principes multitudines in nomine Domini Dei Isra-*

ly 2

el



el & c.) Cùm jam ad Gabaonitarum ditionem armatâ manu perventum esset, locusq; opportunus castris captus, unde invadi illorum urbes facile possent, vulgus quidem militum vel prædæ, vel vindictæ, vel utriusque rei avidum, suæq; libidini, ut solet, non rationi, obsequens, fremebat desiderio gentis invadendæ. At Tribuni aliique Duces & Præfecti consilio prius quàm armis de tota re decernendum esse prudenter existimabant. Itaque hi deliberatione habitâ, constituerunt, nefas esse eos hostiliter aggredi: & eorum oppida diripere, quos interposito per DEI Israelis sanctissimum nomen jure jurando jussissent vitæ suæ securos esse. Prisci illi homines, non solum qui veræ religionis, sed qui falsarum etiam superstitionum cultores fuere, ut parce atque religiose admodum ad jurandum descendebant, ita sua promissa, quorum semel DEum suum sponsores nuncupassent, quovis modo servare se debere putaverunt. Evolv. Coquejus ad Augustin. d. C. D. lib. 1. c. 15. p. 58. & Dalechamp. ad Plin. lib. 1. c. 7. p. 65. *Servandum juramentum omnino, fidei enim tuæ conscientia non est tibi metiendâ ex hominum fidelium sive infidelium circumstantia, sed è religionis tuæ constantia, sed è DEI, in testimonium veritatis appellati, presentia ac reverentia: non jurare, non promittere, potestatis tuæ sunt; juramentum non servare, non item: ut frivolum sit illud, quod dici solet, fidem non esse servandam hæreticis: quanto cum detrimento fides, data Turcorum Imperatori, Amuratho, rupta ab Eugenio Papa sit, notat clades illa, Christianis ad Varnam illata, obtruncato Vladislao*
& c.

Et caesis 3000. Christianarum. Plurimos hâc tempestate videre est, qui cum Lysandro sentiunt, pueros talis. viror. juramentis decipi debere; veluti ipsum vituperantibus ob violatum jusjurandum respondisse. Plutarchus ait.

v. 19. *Dixerunt autem omnes Duces toti cœtui, nos juramento promissimus eis per Jehovam Deum Israelis, ideo nunc non possumus tangere eos;*) Objurgabat universum vulgus suos Duces, quod in expeditionem non educeretur castris; quippe nuperâ victoriâ Haiensî bene animatum, & prædæ dulcedine inescatum, atque, ut est credibile, ejus caussæ quæ illos à pugna retinebat prorsus ignarum. Nam in omni hominum cœtu plerumque fieri assolent, ut quo quisque à Magistratus dignitate consiliisq; abest longius, eò sit ad huic obtrectandum propensior. *Est, quod dici solet, vulgus bellua multorum capitum, quæ suo fremitu atque tumultu sæpè terribilis admodum videri potest. Verùm debet Magistratus existimare, veritatis, h. e. ipsius DEI, præsidio satis securum esse, ac proinde constanti gravitate in sua auctoritate tuenda pergere, & minimè cedere: ita enim omninò fiet, ut evincat tandem insanum populi furorrem, sibiq; multò etiâ quam habuerat ante auctoritatem conciliet majorem. Planè ut cum aut maris aut fluminum inundantes magno æstu aquæ oppositos aggeres tuos jamjam perrupturæ videretur, si*

Yy 3

non



non majoribus objectis motibus illarum imperum repuleris, aut saltem veteres aggeres continuo sarciendo interpolandoque sustinueris, sed cedendo, novosque loco remotiore moliendo laxamentum inundationi illarum dederis, nihil profecto aliud quam ipsas ut in dies majore violentia in tuas novas machinas incurrant, easque oppugnent, provocaveris. Igitur Israelitici populi Duces & Principes uno animo simul (quæ inter ipsos concordia laudanda,) omnes pravæ militum cupidini, quamvis universi fremant, nihil concedendum statuunt, & quod illi flagitant facere, se non posse, aperte pronunciant. Veruntamen ne solo imperio (quod per se omnibus hominibus grave videtur) illorum animi exacerbentur magis perturbenturque quam sedentur, justam curam abstinere manus debeant causam præmittunt, eamque duplicem, quarum prima hæc: *quia juraverint ipsis per Dominum Deum Israël, ideo nefas esse tangere; ubi illud, Deum Israël, magnam habet emphasis, perstringit enim populi animos religione, cum eum Deum sponsores impunitatis esse datum audit, quem ipse colit. Cæterum verbum וַיַּגְּעוּ non solum simpliciter tangere, sed etiam vulnus instigare, sauciare, percutere, atque etiam alio afficere incommodo significat. Idque perspicue apparet ex nomine וַיַּגְּעוּ, cui vulnus, ulcus, morbus, damnum, aliaque hujusmodi mala subjiciuntur. Quare Chaldæus non in scite pro tangere reddidit nocere, sive damnam dare.*



v. 20. *Sed hoc faciemus eis: reser-*
ventur, ut vivant ne contranos ira,
Domini concitetur, si pejeraveri-
mus,) Verbum infiniti modi ex form. *Hiph.* וַיִּחַן
 positum esse pro futuro tempore modi finiti, nonnul-
 li observant; quare cum *Chaldeo* convertunt, conser-
 vabimus ipsos salvos. Ad *Verb.* verò, & vivere faci-
 endo eos, seu servando eos in vitâ, sinuntur vivere.
 Additur h. l. ratio altera, cur Gabaonitis fides sit ser-
 vanda; ducta ab effectu, ut non veniat super nos spu-
 mans & fervens ira, propter juramentum, quod ju-
 ravimus, si sc. illud violemus. *Clarü* hæc est sententia:
Quod hic Gabaonitæ propter juramentum vi-
vere permittuntur, id non tantum factum est
secundum Hebræos, ne violaretur nomen Do-
mini, si juramentum illud rescinderetur, cum
dolus & fraus intervenerit; sed id factum pro-
pter infirmos, qui pro qualibet causa pejerare
non abhorruissent, si juramentum illud viola-
tum fuisset. Sed resp. et si summo jure illud jusju-
randum, quod mendaciis circumducti dederant, ra-
tum non fuisset atq; firmum, tamen homines religiosi
& antiquæ probitatis, secum ea reputantes, quæ DE-
Us suis ipse digitis inscripsisset in tabulis fœderis,
nempe, quod non esset daturus impunitatem ei qui su-
um nomen frustra usurparet, non abs re iram illius vin-
dicem metuebant. Et profectò non potest Divina ma-
 je.

jestas non læsa videri, quoties sacro sanctum illud nomen, quo DEUS pro immenso suo erga nos amore, quandantenus se patefacere nobis dignatur vel ad promissorum nostrorum sponsiones temerè adhibuimus, vel alioqui leviter in rebus nihili & absq; justa, veneratione usurpavimus.

v. 21. *Et dixerunt ad eos principes: Vivant, & sint scindentes ligna & haurientes aquas omni conventui, quemadmodum locuti sunt eis praelati.*)

Verficulus iste in alias atqve alias sententias solet interpretari, propterea quod ipsa verborum structura non satis sit explicata. Nos nihil moramur has disceptationes. In *Ebr.* præmittuntur:

Et dixerunt ad eos Principes,

non incommodo sensu, uti judicat *Bonfrerius*, sed ut vel continuatio orationis Principum populi ad populum, vel novum *ωρ ἐξέλευμα* indicetur populo propositum, quâ conditione ipsos in vitâ servare velint: utut ea Verba nec *Hieronym.* nec LXX. in Cod. Romano habeant, illa autem; *quemadmodum locuti sunt eis Prin-*

cipes. Latinus reddit, *Quibus hæc loquentibus:*

vocavit Josue, satis commodo fortè sensu, sed interpunctationi quæ est in *Hebr.* libris & particulæ *Vav* novam ordienti in vers. seq. sententiam, non satis congruente. Nequaquam verò respiciunt consilium de servitute lignationis & aquationis, sed solum il-

lud

lud יִחַי, *Vivant*. Quia juramento promiserant,
 ipsis Principes conservationem in vitâ. Traditur
 Gabaonitis imposita pœna, ut *in usus univer-*
sæ multitudinis ligna cædant aquas-
que comportent. *Jesús*, ait D. Hieronymus,
 in Epitaphio Paulæ, *Gabaonitas in aquarios lignari-*
osque damnavit. In textu autem *Vulgato & Græco*, di-
 cuntur *lignorum cæsores*, ζυλοκόποι, *aquarum compor-*
tatores & bajuli, ὀδεσφόροι; sed hos *Hebræus* dicit *aqua-*
rum haustores, ita, ut videantur, & aquas haurire, &
 deportare debuisse: parqve in lignis ratio, ut ea, in sil-
 vis exciderent, & in lignile deferrent. Fuisse autem
 locis illis ac temporibus abjectissimorum, & quasi ex-
 tremorum hominum sortem hanc, apparet ex *Deut.*
XXIX, 10. 11. Ubi Moses ordine decurrit a summis ad
 infimos, atqve hos facit lignatores & aquatores. *Cui*
autem servitium hoc præstarent illi, tripliciter in textu
 expositum est. *Primo*, *universæ multitudini Isra-*
elitarum, v. 21. *Deinceps*, *domui DEI*, v. 23.
Deniq; *utriq;* *populo*, inquam, & *altari*, v. 27.
 Colligunt hinc nonnulli *duplex onus & officium* Ga-
 baonitarum. *Præ* comportare ligna & aquam to-
 tis Ebræorum castris. *Deinde* comportare taberna-
 culo & postea templo, cui tamen soli pene post divisi-
 onem castrorum & tribuum, terræqve promissæ pos-
 sessionem addictos fuisse, *aliqui agnoscunt*. Vide *Abu-*
lensem, quæst. 33. v. 43. R. *Mos. Gerundensem & Neh-*
Zz
man-



monum. Alii particulam ET *exegeticè* accipiunt, cuncto populo, id est, altari. In fonte Ebræo v. 27. nihil de cuncto populo, sed לְעֵרָוָה *conventui ministrasse* dicuntur, seu tabernaculo conventus & altari Domini: Sic vis usitata copulæ Vav retinetur, & adstringuntur, tantùm ad sacra ministeria. Et licet v. 21. dicatur: *sint ligna cædentes & aquas haurientes* לְכָרֵת הַיַּעֲרָוָה *omni conventui*; attamen hoc non aliter intelligendum, quàm de conventu omni sacro vel Ecclesiastico, in loco conventus vel tabernaculi Domini, non de universâ multitudine in privatis tentoriis; nam pro omnibus sufficere non poterant Gabaonitæ ad hæc servitia. Ideò restringuntur illa ministeria, diserte ad domum Domini, v. 23. Sicque eadem semper mansit ministerii conditio non immutata; quod instituto ac judiciali sententiæ videtur magis consentaneum, & sic à Josepho *δουλοισι* vocantur, id est, *servi publici*, nimirum, quod ea, quæ ad tentorium conventus, & altare, ad sacra spectabant, pro universo populo expedierint, uti verbi ministri dicuntur *ministri Ecclesie*. Evolv. *Masum, Caje&anum, Ariam & Drusum*, illud adhuc non planè negligendum, posteris temporibus lignatores, aquatoresq; istos tanquam peculiari appellatione dictos נְתִינָיִם *Nethinaeos*, à verbo נָתַן, quasi *datos*, aut *dedititios* dicas, & ceteri atque aræ Dei mancipatos; 1. Par. X, 2. Esdr. II, 43. 58. c. VIII, 20. Neh. III, 26. Conf. *Hieronym.* Tradit. Hebr. in 1. Paral. t. 3. Opp. f. 260. *Sigon.* l. 5. de Rep. Hebr. c. 7. *Riebera* l. 3. de Temp. c. 4. *Vilalp.* in Appar. part. 1. l. 2. c. 7. *Buxt.* Lex, min. f. 496. *Coccej.* in Lex, c. 550. Apud *Tal.*

Talmudicos, מזורין ונתינין מסורין *Spurii & Nethinai* prohibentur, *Jevammoth. f. 78. 2.* Vid. *eund. Buxt. Lex. Maj. col. 1409.*

v. 23. *Et nunc maledicti vos & non delebuntur ex vobis servi.)* LXX. habent, וְנִן דְּאַלְעָגָלִי יֵשֵׁי: Quâ maledictione putant *Talmudici* tract. *Chetuboth* de mulieribus c. 8. *Gabaonitas* ab omni *Israelitarum* connubio & affinitate in perpetuum excludi. Id autem an verum, fit, ipsi viderint, nullo certè satis firmo argumento conficiunt. Allusum potius est ad maledictionem, quæ *Cham* & *Chanaan* fratribus, servos addixit *Noe*, *Gen. IX. 25.* Statim enim subsequitur: *Et non delebuntur ex vobis servi;* Ad verb,

Et non delebitur (vel excidetur) ex vobis servus. Singul. pro Plur. A. Non deficiet à vobis servus, h. e. de stirpe vestrà, *Hier. q. d.* Nemo ex vobis poterit à se excutere jugum servitutis, quin semper, vos cogamini esse servi, & adducere ligna & aquam. V. *Münster. Vatabl. & Clarius. LXX. & μὴ ἐκλείπη ἐξ ὑμῶν δούλος;* i. e. non deficiat & vobis servus. Quibus verbis ipsam pœnæ genus seu species indicatur, *servitus* nimirum. Deditos puniendi jus est *Victori*, ut subditos factos. Si dolus abfuisset, subditi tantùm mansissent; ob dolum operis servilibus abdicuntur, ut olim à *Romanis Brutii*, à quorum similitudine *Brutiani* dicti, qui officia servilia Magistratibus præstabant, eò quod *Bruttii Hannibali* se tradidissent, & cum eo perseverassent, usque dum recederet de *Italia.* Vide *Festum.* Aquam



portare fervile. *Athenæus*: ὁ ἐπὶ τὸν ὕδρα Φόρεν τοῖς Ἀτρεΐ-
δαῖς, ὡς καὶ Στησίχορος Φησιν, - - ὠκτῆρε γὰρ αὐτὸν ὕδωρ ἀεὶ
Φιρέοντα Διὸς κέρε βασιλεῦσι.

v. 23. *Aquam comportans in do-
mum DEI mei*) *Lignis* opuserat in domo DEI
ad fovendos & nutriendos æternos ignes in altari ho-
locaustorum, Lev. VI, 12. nec non ad coqvendas car-
nes victimarum 1. Reg. II, 13. *Aqvis* verò indigebant
sacerdotes partim ad lavandas manus & pedes, cum
essent ingressuri seu tabernaculum Exod. XXX, 38.
partim ad lavandas carnes pecudum mactatarum,
Lev. I, 9. & 12.

Animabus nostris) Nomen animæ in scriptu-
ra πολύσημον. 1. *per synecdochen* partis potioris signifi-
cat totum hominem, ut Gen. II, 7. Factus est homo
in animam viventem. Gen. XIV, 21. Da mihi animas.
Et XXXVII, 27. Non interficiamus animam i. e. ho-
minem.

2. Propriè accipitur pro parte hominis in corporea,
ut Ps. XLII, 5. Sap. III, 1. Justorum animæ sunt in ma-
nu DEI. Matt. VI, 25. Apoc. VI, 9.

3. Per μετὰ νοῦν *cause pro effectu* ponitur, qui est vi-
ta: ut Job. XII, 25. Qui perdit animam suam &c. Quod
igitur Gabaonitæ dicunt, se voluisse providere ani-
mabus suis, significat, se vitæ conservandæ studio ad-
dolum fuisse compulsos. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. *Jun.*
in Not. p. 208.

In

In ministerio altaris.) *Altaris ministerium duplex erat, 1. liberum, 2. servile. Liberum ministerium vicissim duplex erat; unum Sacerdotale, competens Aaroni & filiis suis, qui ex officio sacrificabant & cultus intra velum peragebant: Num. III, 7. & XVIII, 7. Alterum erat Leviticum, competens fratribus Aaronis, quibus demandatae erant excubiæ, & rerum sacrarum custodia. Ab utroque hoc officio exclusi erant exteri seu alienigenæ sub pœna mortis ibidem.*

Servile verò seu Gabaoniticum erat positum in sola lignorum fissione & aquarum comportatione.

Præterea cum duo essent altaria, unum thymiamatum intra sanctuarium; alterum holocaustorum extra sanctuarium. Exod. XXV, 15. Intelligitur h. in l. altare holocaustorum. Nam ad thymiamata seu suffitus sacros non opus erat aquis vel lignis, sed prunis de altari holocaustorum thuribulo exceptis.

Usq; ad diem hanc) Colligunt nonnulli, Gabaonitas debuisse hanc servire servitatem *in perpetuum*. Unde is, qui v. 27. post Josue voces aliquas libro huic addidit, dicit, suo adhuc tempore viguisse servitatem hanc in Hierosolymitano templo. Conf. *Ambros. l. 3. off. c. 10.* Verùm possunt hæc verba non definire certum tempus præstitutum servituti Gabaonitarum; sed significare, etiam tum, quando ista historia conscribatur, durasse illorum hanc muneris functionem.

Zz 3

QVÆ-



QVÆSTIO I.

An Josue debeat Gabaonitis servare fidem juramenti?

Affirmatur.

I. Fides sub invocatione divini Nominis data est servanda.

Hoc enim præcipit præceptum 2. & 8. prohibens perfidiam & mendacia.

At talis est fides Josuæ.

E. servanda.

II. Omnis fides, cujus violatio parit perjurium & concitat iram DEI est servanda.

At talis est fides Josuæ.

E. servanda.

MIN. *prob.* ex v. 20. Reserventur ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur si pejeraverimus.

III. Fidem, cujus violationem DEUS punit in Saule, eam non licet Josuæ impunè violare: quia similia peccata expiantur similibus suppliciis.

At fidei Gabaonitis datæ violationem punit DEUS in Saule.

Ergo nec eam licet Josue impunè violare.

MIN. *prob.* ex 2. Reg. XXI, ubi propter internecionem Gabaonitarum ex præpostero Zelo Saulis ortam affligit DEUS Israelem triennii fame, nec sibi à plaga temperat ante, quàm hoc illis petentibus, 7. viri de stirpe Saulis essent supplicio crucis affecti, ubi in primis notetur in illo textu, Gabaonitæ fuisse eos, quibus olim

olim filii Israel juraverant; sed hujus juramenti violationem conabatur Saul singulari Zelo in populi gratiam palliare.

IV. Argumentum. Fides, quam DEUS approbat, Josue jure servavit.

At fidem Gabaonitis datam approbat DEUS eo pacto, quod Josue Gabaonitis adversus Amorrhæos auxiliaturo victoriam promittit & largitur.

Jos. X, 8.

E. hanc fidem Josue jure servavit.

Negatur.

I. Nulla fides pugnans cum verbo DEI expresso est servanda.

Sed hæc fides Gabaonitis data pugnat cum verbo DEI expresso.

E. hæc fides non est servanda.

MAJ. *prob.* 1. quia mandatum DEI fortius obligat omni juramento. 2. quia aliàs juramentum fieret vinculum iniquitatis, ut *Gratianus* loquitur causa 22. qv. 4. §. inter cætera. 3. quia DEUS non potest invocari in testimonium contra se ipsum. Quia DEUS non potest testari contra se.

MINOR. *prob.* duplici testimonio, ubi DEUS omnes Cananitas ense jubet delere, Deut. XX, 16. De his civitatibus, quæ dabuntur tibi in hæreditatem, nullum omnino permittes vivere, Hebræum. Non vivificabis omne quod spirat. Additur ratio à fine; Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis,

At



At tale quid ne Gibeonitæ quoque facerent, metuendum erat maximè.

E. nec his locus erat relinquendus inter vivos.

II. Test. Num. XXXIV, 52. Disperdite cunctos habitatores terræ illius.

2. *Probat*, quia hoc juramentum non est conforme ori Domini. Inde enim oritur Josuæ assensus, quod os Domini non interrogatum est, v. 14.

II. Argumentum: Fraus & dolus debent nemini patrocinari:

At si Josue servat fidem, patrocinator fraus & dolus Gabaonitis.

E. Josue non debet fidem servare.

III. Argumentum: Fides conditionaliter data sublata conditione, non est servanda.

At talis est fides hæc Josuæ, habens annexam conditionem, v. 7. Si Gabaonitæ non fuerint de populo Canaan,

E. talis fides non est servanda.

IV. Cui est servanda fides, ei non licet nocere.

At Gabaonitis licet nocere, destinando eos ad perpetuam servitutem, quâ nullum majus onus imponi potest. E. Gabaonitis non est servanda fides.

MAJ. *prob.* Nam nocendo & inferendo injuriam, frangitur fides.

χύσις.

Qui sententiam negativam amplectuntur, distinguunt i. inter intentionem personæ & veritatem juris. Unde hoc axioma enatum est: *Ex facto vel intentione*

ne

ne hominum imperitorum seu non rectè informantum, non valet argumentum ad veritatem juris. Exempli gratia, non sequitur: Hoc ex imaginatione aut ignorantia juris factum est. Ergò rectè. Sic cum dicimus: Josue credit, sibi ex juramenti obligatione non licere interficere Gabaonitas, ne iram DEI in se provocet: ex eo non potest concludi. Ergo Josuæ non licet interficere, Gabaonitas: multa enim videntur prohibita, quæ revera licita sunt: & contra multa videntur licita, quæ revera prohibita sunt.

II.

Distinguunt secundo inter obligationem juramenti & supervenientem novam obligationem. Ut quod Deus Saulem ob cæsos Gabaonitas fame punivit, id dicunt, non esse factum ob juramenti violationem, sed ob supervenientem obligationem vel novi mandati DEI, vel communis decreti, quo statutum fuit, consentiente DEo, & universo populo juramentum esse servandum: quemadmodum Israelitæ perperam faciunt petendo novum regem, eoq; nominis non tantum graviter objurgantur (I. Reg. VIII, 7.) sed etiam horrenda tempestate excitata percelluntur (I. Reg. XII, 18.) tamen cum recedere cuperent à novo rege, revocantur Samuelis concione ad eum retinendum. Unde constat, DEum tandem consensisse in eum regem, quem ab initio peti volebat.

III.

Distinguunt inter ἀνεπίδοκτον & ἄνευδαί: si Josue voluit ad justitiæ veluti circinum omnia accuratissime exigere, debuisse eum dicunt Gabaonitas interficere.

Aaa

cere,



cere. Si verò clementiæ & lenitatis erga supplices statuere voluit, rectè eum fidem servasse. Quid *D. Ambrosius* de hac quæstione sentiat, videri potest lib. 3. *Offic. c. 10.* Ubi hæc verba extant: *Jesus pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam arguit, ipse suam solveret. Muletavit tamen eos vilioris obsequio ministerii: clementior sententia fuit, sed diuturnior. Manet enim officis pœna veteris astutiæ, hæreditario in hunc diem ministerio deputata.*

Hic dum sententiam Josue clementiorem dicit, inquit, eum si stricto jure procedere voluisset, potuisse Gabaonitas jure occidere, non obstante juramenti promissione. Id ipsum statuit *Augustinus* lib. 6. quæstionum super Josuæ cap. XIII. ubi inquit: *Licet (Israelitæ) eos (Gabaonitas) mentitos esse didicissent, parcere maluerunt jurationis causa, cum possent utiq; dicere, se tantum illis jurasse, quos eos esse crediderant, id est, de longinquo venientes: cum verò aliud cognoverunt præceptum circa eos Domini complendum erat, ut sicuti ceteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parentibus succensuit. Et addit de Davide Nabali contra juramentum datum parcente: Magis DEO placuit, si quod iraperturbatus ad nocendum juraverat, non fecisset, quam si perfecisset.*

Gratianus causa 22. quæst. 4. §. illicitum sentit: *Juramentum Josuæ esse quidem illicitum, sed tamen propter ignorantiam facti servandum esse. Verba ejus sunt, hæc: Illicitum juramentum, quæ servari prohibetur, intelligendum est illicitum, dum juratur: Si autem nescitur, illi-*

illicitum esse, ipsa ignorantia excusat: Si putatur illicitum esse, non ignorantia juris, sed facti. Aliud enim est, si alicujus copula creditur esse licita, quia nescitur esse sanguinea: vel quia creditur esse vidua. Aliud, si ideo putatur licita, quia consanguinearum conjunctio, vel relictarum copula nullo jure credatur esse prohibita. Hic enim est ignorantia juris, quae neminem excusat, nisi cui permittitur jus ignorare: ibi vero ignorantia facti, quae quisque verè excusatur: Seniores autem Israel non ignorabant gentes terrae promissae ex praecepto DEI esse delendas, sed ignorabant Gabaonitas esse incolas terrae promissionis. Ignorabant siquidem factum, sed non ignorabant jus facti. Atque ideo etsi illicitum esset, quod juraverunt, tamen licite servari debuit, quod juramento firmaverunt. Haec tenus Jurisconsultus. Cujus mentem, ut rectius percipiat lector, notet Gratianum duobus praeter modis illicitum juramentum definire, & quidem I. à defectu justitiæ, cum juramentum pugnat, cum voluntate DEI, aut honestate dicitur illicitum & tale nequaquam servandum est.

II. à defectu judicii, exempli causa, cum quis temerè jurat in causis nim. levioribus, vel cum error aliquis intervenit, quo rectum judicium confunditur, iterum dicitur illicitum juramentum: & tamen servandum est. Ut si quis juraret, se nunquam vinum bibiturum, deberet fidem servare: interim illicitum juramentum quodammodo dici posset, quatenus scilicet Christus interdixit & prohibuit temerè jurare. Quo respectu etiam Josuæ juramentum illicitum appellare poteris, propter defectum judicii, sive errorem.



personarum, quâ non agnoscebat Gabaonitas esse de terra Canaan. Hæc ex decreto.

Nos sententiæ affirmatiuæ subscribimus, Josuam debere Gabaonitis fidem juramento confirmatam servare & respondemus ad *ἀντιμῶν* & partis negativæ.

In I. negatur MINOR. Nam locus Deut. XX. & Num. XXXIII. intelligendus est de iis, qui pertinaciter Israelitis restiterunt, eosque vi repellere conati sunt. Tale enim ulterius additur præceptum, ibid. v. 10. *Si quando accesseris ad pugnandum civitatem, offeres ei primum pacem: Si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam.*

At Gabaonitæ ultrò se offerunt ad pacem, & servitutem haud gravatim suscipiunt.

Ergò DEUS volebat ipsis parcî.

Sic Josuæ c. X, 19. & 29. scriptum est, nullas gentes voluisse se tradere, sed pugnasse contra Israel omnes, atque ideò non meruisse clementiã ullam præter Gabaonitas. Est itaque hoc juramentum conforme ori divino, quod si consulissent, nulla fuisset relictâ populo murmurandi causa.

In II. negatur MINOR: Fraus & dolus non prodest per se, sed potius nocet Gabaonitis, qui ideò in duram servitutem rediguntur.

Quòd autem servantur id per se primò DEO, deinde Josuæ fidei & ingenuitati acceptum referri debet.

In III. respondeo ad MINOREM I. Conditio pugnans cum expresso verbo DEI nihil valet. 2, In ipsa fœderis pactione non repetitur conditio,

In



In IV. Resp. *ad* MAJOREM I. Cui servanda fides est, ei non licet nocere, scil. quoad id, de quo juratum est.

At juraverat Josue non, quod Gabaonitis nollet servitutum imponere, sed quod eos nollet occidere.

Ergo in hoc tantum debebat fidem servare, 2. Servitus erat poena doli, non erat effectus commissi perjurii aut rescissi juramenti.

QVÆSTIO II.

An Josue rectè fecerit, quod Gabaonitis servitutum imponit, quibus juraverat pacem?

Resp. I. Videtur hoc pugnare cum præcepto DEI, cum humanitate & clementia. Nam supplices & confederati non sunt offendendi.

At Gabaonitæ erant supplices & confederati Israelitarum.

E. non erant ab ipsis offendendi jugo servitutis.

II. Josue nullam imposuit servitutum Rahabi & ejus familiæ.

E. nec Gabaonitis eam imponere debuit, quia utraque pars erat ex populis DEO invisis & gladio delendis.

Affirmatur.

Contrà statuendum est, hoc factum Josuæ verbo DEI, quin etiam æquitati & humanitati maximè convenire. Nam ut Josua juramentum servet, non per-



mittit Gabaonitas occidi. At ne isti impunè ferant dolum, quo Israelitas illuserant, induuntur jugo perpetuæ servitutis, sed tamen tali, unde commoda publica rerum sacrarum & politicarum magna poterant capere incrementa. Addo quod Gabaonitæ intra cap. II. legantur suâ subjectione eam clementiam meruisse.

Ad 15.

Distingvo igitur inter juramentum & dolum quo familia Cananitarum occultarunt Gabaonitæ, & Resp. ad argumenta.

In I. MAJOR est vera *secundum quidem*, confœderati & supplices non sunt offendi in eo, quod fœderi aut juramento averfatur.

At servitus Gabaonitarum non adverfatur inito fœderi aut juramento. II. Supplices non sunt offendi præter justam causam: Josue verò non deest justa causa infligendi pœnam, nempe ut dolus justus vindicetur in supplicibus.

In II. est *dissimilitudo in Exemplis*: Rahab cum sua familia nec dolo nec ullo damno, sed potius immenso vitæ beneficio affecit exploratores.

LOCI COMMUNES Theologici.

I.

De modo & via res feliciter administrandi.

Qvic.



Quicquid agis, hæc tibi primò omnium incumbit cura, *ut consulas os Domini*. Quo neglecto Josue in magnas incidit angustias, distrahiturq; in omnes partes ancipiti cogitatione, quæ non ingreditur ad verbum Eleazaris sacerdotis, quem debebat consulere in rebus agendis, juxta DEI mandatum Num. XXVII. 19. *Consulimus autem os Domini bifariam i. examinando nostram vocationem*, juxta verbi divini Cynosuram, an nostræ actiones DEO placeant, ac ipsius mandato imitantur. Qui enim certò scit, se in officio divinitus demando & approbato versari, is strenuè laborat, nec quicquam pensi habet, qualemcunq; eventum, imò paratus est excipiendi adversæ fortunæ tela, jactatis super Dominum curis Ps. LIV. & 1. Pet. V. *ipse providebit* Gen. XXII. 8. Interrogant igitur os Domini omnes, qui per legitimam vocationem honestū aliquod vitæ genus ingrediuntur, ut victum quærant in veritate i. e. honesto labore Ps. XXXVI. Hoc est illud ἀγαθόν, quod Paulus jubet operari Eph. IV. 38. five ἀγαθοεργεῖν 1. Tim. VI. 8. Contrà cum ore DEI pugnat omnis ἐυχρηστιά (turpis questus, furtum & alia scelerata vitæ genera) 1. Tim. III. 3. & 8. Omnis ἐργία 2. Theff. III. II. Cum exercentur artes non necessariæ & inutiles: Quibus adde ἀλλοτριότητα seu curiositatem, quæ eorum est, qui falcem in alienam messem immittunt. 1. Pet. IV. 15. Unde constat, os Domini ab iis non interrogari, qui parùm solliciti sunt, utrum actiones suæ honestæ sint, DEO placeant nec ne? II. *Consulimus seu interrogamus os Domini orando & petendo*, ut ipse dirigat nostras vias & acti-



& actiones ad felicem & salutarem finem perducatur, quod libentissimè faciet, si oraveris.

*Quod possum id præsto, Domino prece reliqua
mando,*

Ut regat eventum prosperitate meum.

Hoc cum ubiq; observetur, tum in primis rerum, difficilium & intricatarum tractatione, quæ non nisi consiliis à DEO oratione impetratis feliciter expediri possunt. Nam

*Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; juvetq; DEUS.*

Petrus laxat rete in nomine Christi, & prædâ piscium optatâ potitur Luc. V, 5. Sic felix rerum eventus expectandus est iis, qui cum auxiliî divini petitione manus operi admovent &c.

II.

DE JURAMENTIS ET QUIDEM

I. De Juramenti necessitate seu impulsiva causa.

Jurandum est nemini, nisi extrema necessitate urgente & rebus omnibus scitè & accuratè exploratis. Est enim Josue nimium facilis, quod pacem juramento promittit viris ignotis, quorum familiam & conditiones alias primò omnium sciscitari debuisset: adversatur hoc verbo Christi. Matth. V, 34. Ego dico vobis; Non jurare omnino. Quo dicto juramenta temeraria & inconsiderata interdicit, ne quis juret ante, quàm omnia ultrò citròq; æstimârit & ponderârit.

2. De

2. *De Juramenti materia.*

Jurandum est non tantum non de rebus illicitis & verbo DEI bonæq; conscientiaë contrariis, sed etiam *ne quidem de rebus dubiis & incertis.* Nam peccat Josue iterum, quod jurat, nec tamen certò scit, an Gabaonitæ sint de populis extra Canaan.

3. *De Juramenti religione & observantia.*

Nisi te vel conscientia tua vel mandatum DEI, seu alia manifesta honestatis causa jubeat juramentum, rescindere, religio tibi sit, contra fidem datam aliquid committere. Punit enim DEUS abusum nominis sui. Quin quemadmodum Josue mavult peregrinos in terra promissa tolerare (fuiſſet autem è re universi populi, si Gabaonitas occidisset: Sic debemus etiam magna commoda juramentis præstitis postponere, ita ut bonorum corporalium quamlibet potius jacturam patiamur, quam ut juramenta violemus, quæ non sunt contra DEUM, nec pugnant cum honestate, licet eorum observantia non mediocre rei familiaris detrimentum afferat.

4. *De vitanda tergiversatione jurantium.*

Ut Josue non tergiversatur, qui hoc prætextu fidem datam frangere potuisset: Ego juravi vobis tanquam longissimè à Cananæis habitantibus, talibus cupio servare fidem. At vos tales non estis. Ergo non cupio vobis servare fidem. Sic non debemus undiquaque violandi juramenta occasionem captare, aut verba hoc vel illo modo interpretari, sed simpliciter & candidè.

B b b

didè.



didè, Nondum enim obliterârunt ignominiosam sui memoriam Thraces, qui pactis cum Bœotiis aliquot dierum induciis noctu incurfiones fecerunt, propter ea quod dierum non noctium factæ essent induciæ. De pœna perjurii vide Malach. III, 5. & Zach. V, 4. Lege etiam *Felicem Malleolum Jctorum* de nobilitate cap. 3.

III.

De non compensando dolo.

Ubi Josue videt, se deceptum à Gibeonitis, non compensat dolum dolo, sed constanter promissa servat: Sic neminem decet malum malo reddere, aut suam malitiam & injuriam alterius exemplo incrustare, quia nulla nisi legi divinæ consentanea exempla ad imitationem trahenda sunt ita Paulo docente, Rom. XII, 2. *Nolite conformari seculis hujus mundi,* Græcè: *μη συζηταίτε τὸν αἰῶνα τούτου.* Figura seu schema mundi est, quod torus in malo positus est ex dolo & fraude, compositus. Talem figuram fugiat Christianus: Sic *Christus* admonet Matth. XXIII, 2. *Secundum opera eorum nolite facere &c.*

IV.

Locus est typicus de obedientia novo Christo prestanda.

Quod Josue Gabaonitis gratis quidem vitam donat, sed tamen cum hac limitatione, ut sint ministri perpetui altar s in eo repræsentat *typum Christi*, qui nobis quoque ad æternum exitium destinatis ad petitionem

no-

stram supplicem gratis sine omni nostro merito confert æternam vitam, juxta illud Pauli Rom. VI. χάρισμα i. e. donum DEi est vita aterna in Christo Domino nostro. 2. Imponit Christus talibus sive jugum & leve onus spontaneæ servitutis sub cruce & omni tempore vitæ, non ut satis faciant DEO pro peccatis sed ut eidem probent gratitudinem, obedientiam & patientiam. Ideo enim liberavit nos Salvator, ut serviamus illi. Luc. I, 74. Ubi extat verbum λατρεύειν, pro quo Paulus in eodem sensu verbum δουλεύειν usurpat Rom. VII, 6. Et servitutum mortis veterem, novæ Spiritus servituti opponit. Ut autem Gabaonitæ propter acceptum vitæ & salutis beneficium à servitio imposito non abhorrent: ita nos propter æternæ vitæ donum, quo nos Christus affecit, haud gravemur voluntati suæ morem gerere, nosq; fideles servos præstare in justitia & sanctitate.

V.

De servitute corporali.

Josue vocat servitutem maledictionem v. 23. i. e. corporalem pœnam & molestiam. Ut enim libertatis amore & desiderio omnes natura flagrant cum omnibus creaturis: ita vicissim servitutis jugum omnes abhorrent: unde ille apud Plautum:

Omnes profecto liberi libentius

Sumus quam servimus,

Habet autem servitus suos gradus. 1. Durissimum est jugum eorum, qui tyrannorum potentia subjecti sunt,



II. *Tolerabilis est servitus eorum, quibus pii Domini præfunt, quales erant Josue & sui similes. Sic enim Claudianus lib. 3.*

*Fallitur egregio, quisquis sub principe credit
Servitium, nunquam libertas gratior extat,
Quam sub rege pio.*

III. *Grata DEO servitus, qua renati in vera fide funguntur, studentque DEO & proximo utiles labores efficere. Talium fervorum curam suscipit DEUS ipse Eph. VI. 9. & illatam ipsis pœnam gravibus pœnis vindicat, sicut occasionem Gabaonitarum tempore Saulis 2. Reg. XXI. Nulla enim apud DEUM valet *δουλοπολιτεία* five servus sis five liber, I. Cor. XII. Gal. III. Eph. VI. 8. Hoc servis nostris fit solatio.*

LOCI POLITICI.

I.

De causarum publicarum tractatione.

Malè & imprudenter facit Josue cum suis principibus & collegis, quod nomine totius cœtus, qui tamen ejus rei ignarus fuit, fœdus pacis inicit cum Gabaonitis. Hoc enim modo excitantur subditi ad tumultus & murmuraciones contra ipsum. Sanè quod ad omnes spectat communiter, id ab omnibus quoque jure tractari debet; ac ubi omnium sententiæ pariter audiuntur, non remanet vulgò ulla causa adversus superiores insurgendi & murmurandi.

II. De

II.

De tumultibus & seditionibus civilibus.

Israelitas ob fœdus se clam inquitum, non quidem armis; sed tamen verbis tumultuantes compefcit Josue non gladio, sed sententia prudenti & æqvitati consentanea. Deinde nemo principum adjungit se turbæ: nemo captandæ auræ popularis gratia contra datum juramentum facit. Unde discimus I. *Causam tumultuum & seditionum civilium sæpè esse in imprudentia & errore ipsorum magistratum, præsertim, qui ex arbitrato proprio, vel insciis & invitis subditis quodvis audent, unde ad universam communitatem politicam damna & incommoda emergunt & redundant.*

II. *Immorigeri & seditiosi si non vim attentant, lenitate potius & paterna mansuetudine, quàm furore & summa severitate cohibendi & ad officium revocandi sunt. Tyrannidis enim est, vel non audire, vel in nervos conijcere eos, qui gravamina publica ordinariè proponunt, ac de iis adhibita modestia, conque-
runtur. Contra Syracides magnis laudibus effert prudentiam Josuæ & Calebis. Num. XIV, 8. quod perfrugerint murmur malitiæ moderatâ & placidâ oratione. Similiter fecit Ozias Judith. VII, 23. Et Cancellarius Ephesinus Actor. XIX, 36. Atq; hoc est, quod Ecclesiastes dicit c. LXX, 4. Remissio faciet cessare peccata maxima.*

III. Nemo ex magistratu faciat secessionem ad seditiosam plebem, eiq; sua autoritate occasionem majores turbas dandi subministret. Nihil enim est, quo



magis levetur, imminuatur, abjiciatur deniq; Magistratum auctoritas atq; imperium, quàm si ex eo ordine nonnulli, ut sæpe fit, nimis populares à suorum collegarum rectis salutaribusq; sententiis ad civium, perversa studia voluntatesq; se adjungant. Quod sane probus nemo unquam fecerit. Tanti enim viro bono debet esse recti atq; honesti species, ut ab ejus scopo nullius multitudinis vel metu, vel gratiâ patiatur aliquando voluntatis suæ oculos dimoveri. Nimirum hoc est, quod DEUS per Moſen *Exod. XXIII, 2.* edixit: *Ne ſeqvitor multitudinem in malis*; quodque confirmat *Eccl. VII, 7.* Non pecces in multitudine civitatis nec te immittas in populum, i. e. ne commiscearis vulgo ſeditionem moventi. Tales enim tragicos exitus fortiuntur.

IV. Magistratus fit magno & constanti animo, ne ſeditioſis & minacibus ſubditis in re impia & injuſta gratificetur, ſicuti Pilatus Chriſto inſonti ſupplicium crucis decernit, nullam aliam ob cauſam, niſi ut tumultuanti & ferocienti populo ſatisfaciat. Contra Joſue eò ſe deduci non patitur, ut in gratiam vulgi murmurantis ſœdus juramento ſtabilitum diſrumpat. Scitè à Platone dictum eſt: *Egregiâ victoriâ ipſas ſe vincere civitates, quoties qui in iis prudentiâ antecellunt multitudinem vincunt*, de Leg. l. I.

III.

De ſatisfactionibus civilibus,

Harum exemplum nobis proponitur in Gabaonitis & Joſue.

I. Jo-



I. Josue moderatur pœnam pro quantitate delicti: quia enim Gabaonitæ non animo nocendi; sed metu excidii & studio conservandæ vitæ veritatem diffimularant: imponit eis servitutem, sed tolerabilem, quippe DEO gratam & populo Israelitico utilem. Quo facto docet magistratum, ut prudenter agat, nec omnes delingentes indiscrete puniat; sed pro delictorum diversitate pœnas, vel mitiget, vel exasperet. Postulat enim justitiâ ἀναλογίαν culpæ & pœnæ, & unicuique reo tribuatur tantum supplicii, quantum commisit peccati.

II. Non gravantur Gabaonitæ libenter suscipere pœnam in se & posteros suos statutam, quam non dubitant justitiæ respondere. Sic magistratui punienti nemo petulanter resistere debet, quia *DE loco puni.* Rom. XIII, 4. Ut autem Gabaonitæ hoc supplicio minimè conciliantur DEO, sed Josuæ & populo: ita satisfactiones civiles accuratè distingvendæ & separandæ sunt, ab illa satisfactione in foro conscientiæ, coram DEO justificante, quam solus Christus suo merito persolvit & nobis fide applicat.

IV.

De pœna doli.

Officium Magistratus hoc quoque postulat, *ne fraudulentos impunè ferat.* Hoc docet nos *Josue*, qui licet in juramenti reverentiam Gabaonitis vitam donet; tamen propter dolum, quo se in societatem & confederationem Israelitarum insinuârunt, punit eos perpetua servitute.

CAP.



CAPUT DECI- MUM.

Ἐποχή.

Describitur in hoc capite insigniter *miraculo-
sa victoria*, quâ DEus Josue pietatem ob ju-
ramentum servatum gratis compensavit, ut
eo pacto testatum faceret, velle se juramen-
ta in magno precio haberi, nec levi de causa rescindi.
Pugnat autem Josue non tantum pro se, sed etiam pro
confœderatis Gabaonitis, quinque regibus pedibus
conculcatis, occisis manipularibus, eorumq; regio-
nibus & sedibus longè lateq; juxta præceptum Domini
devastatis.

Dispositio.

*Partes capitis tres sunt. I. Continet apparatus bel-
licum, tam ex parte hostium, quàm Gabaonitarum &
Israelis usq; ad v. 9.*

*II. Continet cladem, quâ quinque reges cum suis ex-
ercitibus affecti sunt, ita ut in iis miraculosæ victoriæ
exemplum propositum habeamus, usque ad v. 28,*

*III. Complectitur aliarum urbium eversionem cum
suis vicinis, usq; ad finem.*

DE

